

A.d. VIII Idus Majas

Hora VI spatio quadrantis, ut mos est, patebunt fores juxta viam a Friderico Borromaeo cardinali, unde in Sacrum Magnum, seu Equitum Oecum, confluemus.

Ibi Eduardum Ghio nostrum, in Atheneo Juriprudentium alumnum, nonnullas quaestiones de Juris Romani Historia adumbrantem audiemus.

Tum Erasmi adagium “Edentulus vescentium dentibus invidet”, quod Joannis Galbiati eruditissimi viri inimicis haud immerito referri potest, praelegemus.

2007. III, I, 7. **Edentulus vescentium dentibus invidet**

Divus Hieronymus epistolam illam eruditissimam¹ quam ad Magnum² oratorem inscripsit hujusmodi clausit proverbio: *Cui quaeso ut suadeas ne vescentium dentibus edentulus invideat et oculos caprearum talpa contemnat*, hoc est ne quod ipsi non contigit, aliis invideat³. Sic enim est ferme hominum quorundam ingenium ut quisque laudet quantum se sperat assequi posse; si quid ultra vires suas esse senserint, id negant disci oportere. Breviter paucos invenias qui quod in sese desperent, in aliis probent, idque non alia in re magis quam in litterarum studiis. Hieronymus videtur Graecam illam reddidisse sententiam :

Αὐτὸς πενωθεὶς τοῖς ἔχουσι μὴ φθόνει

id est

Ne pauper ipse iis invidet qui possident.

¹ Ep. LXX, 6, ad Magnum, oratorem Urbis, qua epistola explicat cur in dictis suis quandoque philosophorum et poetarum sententias interserat.

² Fortasse idem est Flavius Magnus cui hic titulus pertinet: *Flavius Magnus vir clarissimus rhetor urbis aeternae, cui tantum ob meritum suum detulit senatus amplissimus, ut sat idoneum judicaret, a quo lex dignitatis inciperet, praeceptor fraudis ignarus et intra breve tempus universae patriciae soboli lectus magister, eloquentiae ita inimitabilis saeculo suo, ut tantum veteribus possit aequari.* (*Bullettino di archeologia cristiana*, anno I, n.2, pag. 14, 15).

³ Hoc proverbium citatur a Thoma Campanella in Apologia pro Galilaeo mathematico florentino “*ubi describitur utrum ratio philosophandi, quam Galilaeus celebrat, faveat Sacris Scripturis an adversetur*”. In exponenda enim tertia hypotesi, allata sententia Hieronymi, subjungit : “*Non enim nisi ex invidia, quod talia ipsi ignorent. aut scire desperent, aut iterum discipuli fieri verecundentur, quum nunc vocentur magistri, sublimioribus incommodis modernis ingeniis sese efficiunt*”